



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XI. Vtrum fides aliqua, quæ idem motium credendi, eademq[ue]
rationem formalem obiecti habeat cum fide infusa, possit haberi ex viribus
naturæ sine auxilio gratiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

& manu ducentis mentem intra latitudinem discursus naturalis.

25.
Quid inter
utramque
fidem inter sit.

Satisfit. 1.
in num. 1.

Fit satis 2.
eodem num.
proposita.

26.
Soluitur 3.
in num. 2.

Quis error
damnetur
in Concilio
Arausico.

Fit satis 3.
ultima.

Ex quibus omnibus satis constat, fidem acquisitam etiam si sit de rebus reuelatis longe diuerſæ naturæ, eſſe à fide infuſa, multumque à perfectione eius deficere, ideoque mirum non eſſe, quin aliqui actus eius poſſint fieri ſine gratia. Vnde etiam facile reſponderi poteſt ad rationes in principio poſitas. Ad primam dicitur, quantumuis res in ſe ſint ſupernaturales, & excedentes humanam naturam, ſi ſolum credantur, vt teſtificata humano teſtimonio, non attingi ſecundum rationem ſupernaturalem, ſed ſecundum rationem communem quibuſcunque rebus, quatenus per homines referri, ac affirmari poſſunt. Et ideo dum intellectus hæc credit per fidem acquiſitam, non fertur extra obiectum ſuum, quia obiectum materiale fidei humanæ eſt quidquid ab homine afferri poteſt, ſiue naturale ſit, ſiue ſupernaturale, & eadem ratione non agit tunc intellectus extra ſphæræ actiuitatis ſuæ, quia quilibet humana fides ſub ſphæra naturali continetur. Ad ſecundum dicitur, erraſſe Pelagium, quia loquens de Chriſtiana fide, prout ad ſalutem neceſſaria eſt, & ex parte ſua ſufficit, dixit, vicibus ſolius naturæ exhiberi poſſe, ſuppoſita tantum reuelatione, ſeu propoſitione ſufficiente. Fides autem acquiſita non eſt, qualis eſſe debet ad ſalutem, & ſiue illa præcedat, ſiue non, ſemper eſt neceſſaria propria fides infuſa, de qua Scriptura, Concilia, & Sancti loquuntur, vt ſæpe diximus, de fide autem acquiſita nec affirmant aliquid, nec negant, quia nihil ad doctrinam neceſſariam fidei, & ſalutis animarum pertinebat. In hoc ergo ſenſu admittimus reſponſum in argumento datum per diſtinctionem fidei in perfectam, & imperfectam.

Ad replicam autem, ſeu tertium argumentum ex errore Semipelagianorum, & definitione Concilij Arauſicani, reſpondemus, longe diuerſam fuiſſe ſententiam Maſſilienſium. Quia illi loquebantur de fide, quæ licet eſſet imperfecta, eſſet tamen initium quoddam, & inchoatio veræ, ac ſupernaturalis fidei, ſiue illud initium ponerent in voluntate credendi, eamque vocarent imperfectam fidem, ſiue in aſſenſu aliquo intellectus, qui eſſet quidem verus aſſenſus conferens ad ſalutem, indigens tamen aliqua maiori perfectione, quam ipſamet inchoata fides poſſet impetrare, ſeu mereri. Et hoc eſt, quod damnant Arauſicanum Concilium, & Patres. At vero fides acquiſita ita eſt imperfecta ex natura, & ſpecie ſua, vt non ſolum ſit infra fidem infuſam, ſed etiam extra omne initium, & inchoationem eius, quia nec includit voluntatem credendi piam, & ſalutarem, quam fides Chriſtiana requirit, neque eſt inchoatio, vel quaſi fundamentum Chriſtianæ fidei. Et ideo talis fides acquiſita nullo modo impetrat, vel meretur infuſam, neque eſt ſalutis initium. Vnde Arauſicanum Concilium ca. 6. ſic definit, *Si quis dixerit, ſine gratia Dei credentibus, &c. Miſericordiam Dei conferri, non autem vt credamus, &c. Sicut oportet per inſuſionem Spiritus Sancti fieri conſuetur, reſiſtit Apoſtolo, &c. Vbi addendo illam particulam, Sicut oportet, indicauit, de alio modo fidei, quæ non ſit, ſicut oportet, & eſſe poſſit ſine gratia, nihil ad doctrinam fidei referre, dummodo naturalis fides non credatur eſſe meritum, aut ratio obtinendi gratiam Spiritus Sancti ad perfectam fidem. Et ita patet reſponſio ad quartum: negamus enim ſequelam, id eſt, hanc fidem acquiſitam eſſe poſſe meritum infuſæ, vel gratiæ ad illam, quia illa eſt valde imperfecta, & omnino naturalis ordinis: in quibus actibus nullum eſt meritum gratiæ. Neque facienti quod poteſt per vires naturæ, datur gratia ratione talis actus, vt infra ſuo loco latius dicitur. Auguſtinus autem loquitur de fide vera, & Chriſtiana, licet inchoata tantum, vt capite ſequenti explicabo.*

CAPVT XI.

Virum fides aliqua, quæ idem motuum credendi, eandemque rationem formalem obiecti habeat cum fide infuſa, poſſit haberi ex virtutibus naturæ ſine auxilio gratiæ.

Hæc queſtio valde neceſſaria eſt ad intelligendum, quanta ſint vires liberi arbitrij ad operandum circa ſupernaturalia obiecta, quæque ſit propria diſſerentia inter actus infuſos, & acquiſitos, qui in eadem materia verſantur. Vnde ex le quaſtio communis eſt omnibus actibus infuſis, ſoletque ſub hiſce generalibus verbis tractari, an actus in ſua ſubſtantia ſupernaturalis, & actus naturalis poſſint verſari non ſolum circa idem materiale obiectum, ſed etiam circa idem formale. Nos autem nunc de fide agimus, poſtea de cæteris dicemus, prout ſpecialis ratio aliarum virtutum poſtulauerit, ita enim fiet, vt melius diſſerentias ſingula expendantur. Aliqui ergo ex moderatis Theologis non contenti hiſ, quæ in capite præcedenti dicta ſunt, contendunt, poſſe hominem aſſentiri rebus reuelatis ſufficienter propoſitis, per vires ſuas ſine auxilio gratiæ ſub eadem ratione formali obiecti, & ex eodem motuo, ex quo credimus per gratiam, & per Chriſtianam fidem. Et nihilominus, vt ſaluent definitiones fidei contra Pelagianos, & Semipelagianos, dicunt, illam fidem, quæ habetur per vires naturæ, non eſſe, ſicut oportet, ad ſalutem, vel ad initium ſalutis, ſolum quia in entitate ſua eſt ordinis naturalis, & imperfecta, comparatione alterius fidei ſupernaturalis. Vnde ſic opinantes non recedunt à ſententia, quam capit. 4. docuimus, ſed addunt, circa idem obiectum materiale, & formale poſſe verſari actus ſpecie, & ſubſtantia differentes, non ex obiectis, ſed ex modo tendendi in illud, nobiliori, & altiori, vel inferiori, & ignobiliori. Et hac ratione dari circa idem obiectum actum in ſubſtantia ſupernaturalem, & actum naturalem ſpecie, & entitate omnino diuerſos.

Fundamentum huius ſententiæ ſumitur ex duobus principijs. Vnum eſt, eſſe poſſibile, actus diuerſos in ſpecie verſari circa idem obiectum formale, non tantum quoad rationem formalem, quæ in illo attingitur (de hoc enim nulla eſſet controuerſia) ſed etiam quoad rationem, ſub qua attingitur. Probatur, quia formale obiectum licet ſæpe diſtinguat actus, ſitque ad id ſufficiens, quando interuenit, non eſt tamen ad æqualem ratio diſtinguendi actus, nec ſimpliciter neceſſaria, quia poſſunt diſtingui ex modo diuerſo tendendi ad idem, & ex eodem motuo. Id patet in motibus, non enim ſemper diſtinguuntur ex terminis, ſed interdum ex modo tendendi, vt de circulari, & recto tradit Ariſtoteles 5. Phific. cap. 3. text. 33. Item in actibus voluntatis circa idem bonum, amor, deſiderium, & delectatio, ſeu voluntas ſimplex, intentio, & fruitio, ſpecie diſtinguuntur ex modo tendendi, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. qu. 12. art. 1. ad 4. Item voluntas, & appetitus ſenſitiuus interdum tendit in idem obiectum ſub eadem ratione delectabilis, & nihilominus elicit actus ſpecie diuerſos, non propter diuerſitatem cognitionum, nam cognitio eſt conditio obiecti, non ratio, ſed propter diuerſitatem potètiarum. Item in duobus Angelis ſpecie diuerſis, amores naturales Dei, in ipſum ſub eadem ratione bonitatis tendunt, & nihilominus amores illi diſtinguuntur ſpecie ex modo amandi ſimpliciori, vel (vt ita dicam) ſpirituali in ſua entitate: ergo non repugnat, actus ſpecie diſtingui circa idem obiectum formale. Neque reddi poteſt ratio ſufficiens, cur hoc repugnet: cum actus ex multis principijs pendeat, præſertim ex potentia, à qua propter nobilitatem ſuam poteſt nobilior

tiorem essentiam, & speciem accipere, etiam si in idem obiectum tendat.

^{3.} *Rationis applicatio, & declaratio.*
Sic ergo in presenti non repugnat circa idem obiectum formale fidei, quod est veritas prima reuelans, dari assensum specie diuersos, vnum naturalem, alium vero supernaturalem ex modo nobiliori tendendi, & ex principio superioris ordinis, a quo procedit. Declaraturque vterius in hunc modum, quia inter assensum, & rationem assentiendi non requiritur hæc proportio, vt si actus est naturalis, ratio assentiendi etiam sit naturalis, & similiter, si actus est supernaturalis, ratio assentiendi sit supernaturalis: ergo potest esse actus naturalis ex motu supernaturali, & è contrario: ergo eadem ratione poterit esse actus supernaturalis, & naturalis fidei sub eodem motu supernaturali. Antecedens probatur, quia cognitio per se infusa huius principij, *Totum est maius sua parte*, nititur in intrinseca connexionem terminorum, in qua etiam nititur naturale iudicium eiusdem principij: & scientia, quam Deus habet de veritate hac naturali, *Petrus peccabit*, supernaturalis est, & solum ex parte obiecti fundatur in veritate ipsa, quæ naturalis est; è contrario vero voluntas nostra actu naturali potest diligere Deum trinum, & vnum propter bonitatem tam mirabili modo communicabilem, quæ ratio supernaturalis est, quam altiori modo potest diligere charitas infusa; ergo.

^{4.} *Principij & fundamentum.*
Aliud principium est, sæpe non esse possibile, inter actum naturalem, & supernaturalem circa eandem materiam assignare diuersitatem ex obiecto formali. Hoc præcipue patere potest in actibus amoris, quibus amatur Deus propter seipsum: nam vtriusque amoris formale obiectum, seu ratio propter quam, & sub qua amatur Deus, est bonitas Dei, prout in se est; hæc autem est vna, & simplicissima, & specialiter hoc declarat ratio proxime facta de dilectione Dei, vtrinus est. Deinde vero in fide idem ostenditur. Nam hæreticus credit multa mysteria, quia prima veritas illa reuelauit, hoc enim profiteretur, & expresse vult, vnde non potest in hoc falli; hæc autem ratio est, quam fides Christiana respicit, & quæ sufficit ad actum fidei supernaturalem, euidentiusque inuenitur illud idem motuum credendi in fide demonum, illi enim coacti credunt, Deum esse trinum, quia euident illis est, Deum hoc dixisse, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 5. artic. 2. Vnde in assensu illo immediate ducuntur auctoritate Dei, & illa sola premuntur: ergo assentiuntur sub eadem ratione, sub qua fidelis eundem articulum credit. Nec refert, quod ad iudicandum, Deum illa dicere, ducantur signis naturaliter cognitis, quia hoc non obstat, quominus ad assensum rerum dictarum sola auctoritate Dei moueantur, quia non per se illis assentiuntur, sed quatenus attestata à Deo sunt.

^{5.} *Dilectionis & rationis.*
Tertio addi potest ratio, quia si proposita sufficeret fide cum omni interna illuminatione, & excitatione ad supernaturalem actum volendi, & credendi, fingamus, Deum negare concursum adiuuantem concomitantem ad supernaturalem actum, dare autem concursum ad naturalem modo volendum, tunc voluntas eliciet actum naturalem, & non nisi obeandem bonitatem sibi propositam, quia tunc non habet aliud obiectum: ergo voluntas illa naturalis habet idem obiectum formale, quod haberet, si Deus vellet supernaturaliter concurrere. Idemque argumentum procedit de assensu intellectus. Imo eadem ratione si Deus vellet concurrere supernaturaliter cum voluntate, & intellectui non daret supernaturalem concursum, sed naturalem, vt facere potest, tunc voluntas credendi esset supernaturalis, & assensus esset naturalis, cum tamen voluntas illa moueat intellectum ad credendum supernaturali motui. Et eadem ratione posset Deus è contrario dare concursum supernaturalem intellectui, & non voluntati, & tunc assensus intellectus esset supernaturalis, volun-

tatis autem naturalis, quamuis esset sub motu supernaturali. Quæ ratio confirmat, quod in priori puncto in vltima ratione dicebam, non esse necessarium, vt seruetur proportio naturalis, vel supernaturalis inter entitatem actus, & motuum.

^{7.} *Probatur.*
Quarto principaliter suaderi solet hæc sententia, quia si non posset fides acquisita, & infusa habere idem formale obiectum, posset homo experiri, & euidenter cognoscere, quando eliciat actum fidei acquisitam: quando vero infusa: consequens est falsum, & ex eo potest sequi aliud absurdum; ergo. Sequela patet, quia intellectus non potest ignorare, quæ ratione moueatur ad credendum, nam hoc maxime nosse oportet, vt credere possit; ergo si assensus acquisitus, & infusus non possunt distingui, nisi propter diuersas rationes credendi, poterit quis, præsertim si cum reflexione attendat, experiri, an fide naturali, vel altiori credat. Falsitas autem consequentis primo videtur manifesta per experientiam, nullus enim potest vere affirmare, se experiri suum actum esse supernaturalem. Secundo hæreticus credens articulum Trinitatis, omnino putat se credere illud fide infusa, & plane fallitur. Tertio alias etiam posset quis euidenter experiri, se diligere Deum vero actu charitatis, quia etiam non ignorat intellectus, quod obiectum, quamque rationem amandi illud proponat voluntati. Vnde vterius infertur, posse hominem experimento cognoscere, se esse iustum, quod quam sit absurdum, postea suo loco videbimus.

^{8.} *Auctoritas qua huic sententia patrocinatur.*
His rationibus addi solet multorum Theologorum auctoritas. Et in primis allegantur omnes Doctores, qui censent actus fidei, & aliarum virtutum infusarum esse naturales in substantia, Scotus, Gabr. Durand. Maior, Almain. & Caietanus. Veruntamen hi authores ad hoc solum possunt adduci, quod in obiectis horum actuum vnâ tantum rationem obiectiuam agnouisse videntur, eamque naturalem, hac enim ratione tantum vnâ speciem essentialem, eamque naturalem in illis actibus cognouerunt, illosque solum ex modis accidentalibus distinxerunt. Aliunde vero possunt contra dictam sententiam allegari, quatenus supponere videntur, actum supernaturalem non posse in substantia distingui à naturali, nisi in obiectis sit distinctio, propter quam necesse sit illos duos ordines actuum distinguere. Sed fortasse non id supponunt, nec illa ratione mouentur, nam habitus infusus saltem fidei, spei, & charitatis fatentur esse specie diuersos ab habitibus acquisitis, cum utrosque cogantur fateri, sub eadem ratione formali operari, quia non aliam rationem operandi in obiectis illorum habituum, sicut neque in eorum actibus agnoscunt. Et ita in charitate aperte declarat Scot. in 3. distinct. 27. ad 4. principale Vnde sicut in habitibus hanc distinctionem admittunt circa idem obiectum formale, ita fateri coguntur, eandem esse possibilem in actibus, licet propter alias coniecturas, vel considerationes illam de facto negent in actibus. Cum tamen supposita possibilitate, reuera magis consequenter, magisque probabiliter etiam in actibus de facto admittatur. Denique Scotus in 3. distinct. 25. quæstione 2. in vltimis verbis, probabile existimat, fidem non habere vnitatem ex obiecto, sed ex se, & consequenter nec speciem, nec supernaturalitatem; ergo eadem ratione idem dicere posset, & deberet de actu fidei. Præterea Quodlib. 14. articulo 1. lubricè loquitur, in eandem tamen sententiam inclinat. Quam tenet etiam Aragon. 2. 2. quæst. 1. articulo 1. §. Sed ex hoc. Et solet tribui Molinæ in Concord. quæst. 14. articulo 13. disputatione 7. quia in principio dicit, postquam proposita est, & explicata fides, argumenta, quibus persuadetur Deum eam reuelasse, satis sunt intellecta, posse hominem actu naturali quoad substantiam assentiri rebus propositis, tanquam à Deo reuelatis. Vnde à fortiori diceret, talem assensum oriri ex naturali voluntate credendi.

Et in

Et in disp. 14. videtur idem sentire de amore, & contritione, de quibus inferius dicemus.

8. *Vera sententia docet fidem non accingere Deum eodem modo, quo infusa.*
 Contrariam sententiam iudico omnino veram, nimirum ita esse distinguendam fidem acquisitam circa mysteria fidei à fide infusa, vt nunquam possit intellectus suis viribus, vel actu naturali attingere veritatem reuelatam, vel illi assentiri sub eadem omnino ratione sub qua illam attingit fides infusa. Ita sentiunt moderni omnes, qui hoc punctum attigerunt, Medin. 1. 2. q. 62. artic. 2. Bañez 2. 2. quæst. 5. art. 2. quæst. 6. art. 1. & q. 24. art. 2. Vigueri. In Insti. cap. 10. §. 3. vers. 16. Azor lib. 3. Institut. Moral. cap. 24. q. 2. Idem sentit Soto lib. 2. de Natur. & grat. cap. 7. negans, hæreticum assentiri propter rationem formalem obiecti fidei, & Veg. lib. 9. in Trident. cap. 3. declarans rationem formalem obiecti fidei, & dicens, omnia, quæ sub illa ratione creduntur, eodem habitu credi. Idem docuerat Capreol. in 3. dist. 24. quæst. 1. artic. 3. ad argumenta Scoti contra secundam conclusionem, & sumitur ex Bonaurent in 3. dist. 23. art. 2. q. 2. quatenus distinguit fidem acquisitam, & infusam earundem rerum per rationes formales credendi. Quod etiam tenet ibi Richard. art. 7. q. 2. Alenf. 3. p. q. 64. art. 2. & communiter Doctores scribentes de fide. Præcipue vero D. Thom. 2. 2. qu. 1. art. 1. & q. 5. art. 2. & art. 3. præsertim ad 1. & in 3. dist. 24. art. 1. quæst. 1. & alijs innumeris locis, vbi rationes essentielles fidei infusæ, tam quoad actum, quam quoad habitum ponit in ratione formali, cui innititur, quam dicit esse primam veritatem reuelantem, semperque distinguit hunc assensum fidei Christianæ ab omni alia fide circa easdem veritates ex hoc obiecto formali, negatq. fidem, vel demonum, vel hæreticorum in his, quæ credunt, in hac ratione formali obiecti fundari. Nec certe Molina à D. Thoma discrepat, nam in eadem disp. 7. §. Nosstram, declarat, illam fidem acquisitam, quæ potest haberi de veritatibus fidei, esse assensum mere opinatiuum, & fidem humanam; sentit ergo non fundari in diuina autoritate, tanquam in vnico, & proprio motiuo. Infra vero declarat, ideo dixisse, hæreticum aliquos articulos reuelatos à Deo credere, esse veros, quia sibi persuasit esse reuelatos à Deo. Quæ omnia licet vera sint, non ideo affirmat Molina, habere hæreticum idem obiectum formale, in credendo articulum fidei, quod habet catholicus, vt ex sequenti discursu patebit.

9. *Duplex modus credendi reuelatæ.*
 Vt ergo assertionem probemus, & sine aequiuocatione procedamus, declarare oportet, quid sit credi aliquid vt dictum, vel quia dictum à Deo. Duobus enim modis id potest intelligi. Primo vt solum testimonium, & auctoritas Dei sit tota ratio credendi, & res dictas, & quicquid ad illas credendas simul credere, seu cognoscere necesse est, nimirum Deum eas dixisse, & in his, quæ dicit, nec falli, nec fallere posse, ita vt totum hoc eadem fide teneatur. Secundo potest aliquis credere reuelata, quia Deus illa reuelauit, credendo, quod illa reuelauerit, non ex ipsa reuelatione, sed ex suo arbitrio, suis coniecturis, vel humanis testimonijs. Prior modus est fidei infusæ, & in illo sola diuina auctoritas est tota ratio credendi, & ad illam formaliter fit vltima resolutio fidei. Et hoc modo dicimus, non posse intellectum per vires, & actus naturales credere, quia Deus dicit, neque sub ea ratione formali, sub qua credit fides infusa. Posterior vero credendi modus est humanus, & reuera in eo non seruatur eadem ratio formalis obiecti, vt respondendo ad argumenta dicam, Hoc posito duobus modis potest probari assertio, primo per media Theologica, quæ apud me fortiora sunt. Secundo per discursum metaphysicum, seu philosophicum.

10. *Argumentum ex Paul. 1.*
 Argumentor ergo primo testimonio Pauli 1. ad Thessal. 2. dicentis. *Gratias agimus Deo sine intermissione, quia cum accepissetis à nobis verbum auditis Deum, accepistis illud non vt verbum hominum, sed vt est vere verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* In quo testimonio duo

expendo, vnum est accipere verbum, vt verbum Dei, nihil aliud esse, quam dare illi fidem ex solo Dei testimonio in illo sistendo, & non reducendo illud ad humanas rationes, iam enim acciperetur, vt verbum hominum, & tamen hoc dicit Paulus esse opus Dei in illis operantis, vtique per gratiam, pro qua Paulus agit gratias sine intermissione, declarans esse opus gratiæ, vt optime ponderat Augustinus libr. de Prædestinatione Sanctorum cap. 19. Aliud expendendum est, Paulum simpliciter dixisse, accipere verbum Dei, vt Dei, esse opus Dei, significans semper esse tale, quia vbi ipse non distinxit, non licet nobis excipere, ergo accipere verbum Dei vt verbum eius, nunquam est naturale, sed semper est opus gratiæ; ergo & formaliter credere ex testimonio Dei, in illo sistendo, nunquam est naturale, quia quicumque ita credit, accipit verbum Dei, vt verbum Dei.

Secundo argumentor ex illis generalibus testimonijs. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c.* id est, ex alijs nostris solis viribus. Et illud, *Sine me nihil potestis scribere, &c.* & similia. Nam qui audito verbo Dei, ita de illo cogitare suis viribus potest, vt illud credat omnino, quia est verbum Dei, sine dubio ex se habet cogitationem valde perfectam, & de se aptissimam ad salutem. Atque in hunc fere modum expendit hunc locum Augustinus de Prædestinatione Sanctorum cap. 2. Quia si non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, profecto nec sumus sufficientes credere aliquid ex nobismet ipsis. Item explicatur illa verba de cogitatione pia, & conducente ad salutem; at profecto ex magna pietate creditur quicquid ex sola Dei reuelatione, & testificatione, præsertim obscura creditur. In quo etiam confidero, Pelagium propterea damnatum esse simpliciter, quia dixit, proposito verbo Dei, posse hominem credere Deo dicenti sola sua libertate, vt constat ex Augustino epistol. 105. & 106. & ex Concilijs sæpe citatis; at vero si homo posset sua libertate, & potestate credere omnia reuelata, nixus sola Dei autoritate, sententia Pelagij non fuisset simpliciter falsa, sed potius vera, non ergo fuisset absolute damnanda, sed explicari debuisset, illam fidem per naturalem entitatem actus non esse sufficientem, sed requiri supernaturalem actus entitatem, quod Concilia non faciunt, sed absolute damnant assertionem talis fidei naturalis.

Dices, non damnare simpliciter, sed cum illo addito, *sicut oportet*. Respondeo primo, etiam damnare simpliciter, loquendo de fide in Deum, seu de hoc, credere Deo. Hoc enim intendit Concilium Trident. cap. 6. cum inquit. *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum credentes vera esse, quæ à Deo reuelata sunt.* Per quæ verba plane declarat, quid in fide sit, credere, *sicut oportet*, vtique reuelata esse vera, quia reuelata sunt à Deo, in ipsum tendendo per talem fidem, tanquam in authorem fidei, & vnicam rationem eius. Et Concilium Atracense canon. 5. in vltimis verbis supra tractatis damnat dicentes, *fidem illam, quam in Deum credimus, esse naturalem, vbi non addit, sicut oportet, quia in illa particula, in Deum, continetur, quæ non potest habere alium sensum, nisi quem in verbis Concilij Tridentini explicuimus.* Et canon. 25. de charitate ait, non posse liberum arbitrium solum aut diligere Deum, *sicut oportet, aut credere in Deum, vbi non repetit particulam, sicut oportet, quia intelligitur inclusa in illo, credere in Deum.* Igitur quoties assensus fidei in Deo solo nititur, est sicut oportet, & non potest esse, nisi actus proprius gratiæ, ac subinde supernaturalis. Confirmatur, & declaratur, quia si homo potest credere Deo ex diuina tantum autoritate, potest sua virtute credere summa certitudine, & infallibilitate; ergo quantum ad mores pertinet, iam habet perfectissimam fidem, nam distinctio quasi materialis in entitate naturali, vel supernaturali.

per naturali parum ad mores refert, si ad hæc ad obiectum eadem est, & ad bene operandum æque conducere potest. Respondent aliqui, actum fidei naturalem semper esse minus certum, etiam si in puro Dei testimonio nitatur. Sed hoc profecto non consequenter dicitur. Nam si est sermo de certitudine obiecti, idem Dei testimonium, si in illo pure sistitur, æque certum, & infallibile est. Si vero sit sermo de certitudine ex parte subiecti, illa & est extrinseca, & quasi per accidens, & in actu naturali maior esse potest.

13. Præterea argumentor ratione in hunc modum. Si ratio formalis obiecti fidei talis est, ut liberum arbitrium suis solis naturalibus viribus possit actum absolute, & efficacem propter illam elicere, ergo tale obiectum, seu ratio operandi non est de se supernaturalis, sed potius naturalis. Consequens est falsum: ergo. Sequela patet, quia in præsentia illud maxime dicitur supernaturalis, quod superat naturales vires liberi arbitrij: si enim dicitur habitus infusus supernaturalis, quia per actus liberi arbitrij acquiri non potest, & actus supernaturalis, quia per vires arbitrij fieri non potest: ergo similiter obiectum erit supernaturalis, quod ut tale est, viribus naturalibus attingi non potest; ergo est contrarium motuum formale, quod viribus naturæ attingi potest, supernaturalis non est. Consequens autem nec a doctores contrariæ sententiæ conceditur, quos ego viderim, nec videtur posse secure concedi, quia destruit fundamentum necessitatis gratiæ ordinis supernaturalis. Nam si formale illud motuum naturale est, profecto ad elicendum actum illi obiecto, & motui proportionatum, quantum ipsum postulat, non erit necessarius habitus supernaturalis, nec gratia, falsumque est hos actus supernaturales versari circa obiecta naturalia, vel excedentia vires naturales hominis, quod tamen est expresse contra communem sensum, præcipue Divi Thomæ 1. 2. questione 109. articulo 3. ad 1. & 3. & questione 62. articulo 1. & questione 63. articulo 3. & alibi sæpe, & communiter Theologi ita loquuntur.

14. Responderi potest, motuum illud esse attingibile & actu naturali, & actu supernaturali, & priori modo esse obiectum naturale, posteriori vero esse supernaturalis. Iuxta quam distinctionem aliqui etiam dicunt, distinguunt illos actus naturales, & supernaturales ex rationibus formalibus, sub quibus attingunt obiecta, illas vero rationes non esse distinctas motui, sed esse distinctas attingibilitates eiusdem motui. Nam in fide veritas Dei in dicendo, ut attingibilis per assensum naturalem, est ratio obiectiva, sub qua fidei acquiritur, ut vero attingibilis superiori modo est obiectum formale assensus fidei supernaturalis. Hæc vero responsio, si attente consideretur, supponit distinctionem in actibus, & ab illis sumit rationes, sub quibus attingitur obiectum potius, quam est converso, ut inferius in simili explicabo. Vnde in re non dicit aliquid distinctum à priori sententia, sed idem alio modo. Supponit enim, assensum propter idem motuum esse posse distinctos ex se, seu ex modo tendendi inferioris, vel altioris ordinis, & inde considerat duas attingibilitates in obiecto ratione distinctas, quæ revera non sunt, nisi denominationes extrinsecæ ab actibus desumptæ: nam illa duplex attingibilitas nihil vel absolutum, vel respectuum secundum rem addit illi motui, sed tantum relationes rationis fundatas in denominationibus extrinsecis sumptis à duobus actibus, qui possunt elici ex tali motui.

15. Quocirca verbis illis eludatur potius, quam soluitur ratio facta. Tum quia motuum esse supernaturalis, non est denominatio extrinseca, sed est excellentia motui superantis vires naturales intellectus creati, ideoque si intellectus creatus potest suis viribus absolute velle, vel assentiri ex tali motui specifi-

fico secundum ultimam, ac propriam rationem suam spectato, tale motuum non potest dici supernaturalis, sed naturale. Tum etiam, quia iuxta illam sententiam nullum est tam naturale motuum, quod non possit attingi per actum supernaturalem quoad substantiam, si Deus velit illum infundere, ut v.g. Christus per scientiam per se infusam, & per acquisitam cognoscit, hominem esse risibilem, ex hoc medio, & motui, quod est rationalis, & ita habet assensum naturalem, & supernaturalem ex eodem motui, & nihilominus motuum est naturale, quia viribus naturæ sufficienter attingitur; ergo si tale est etiam motuum fidei divinæ, illud de se naturale est, licet fortasse Deus dare possit homini actum supernaturalem propter idem motuum.

Dicitur forte, argumentum concludere illud motuum non esse absolute supernaturalis comparatum ad vires naturales intellectus, & supposita applicatione, vel propositione talis motui, dici vero supernaturalis, quia applicatio, vel propositio talis motui est supernaturalis, id est, non debita capacitati naturali hominis, sed ex extrinseca Dei ordinatione gratia concessa. Quod etiam suaderi potest, quia Deum esse primam veritatem, quædam veritas naturalis est, Deum item, si quid testificetur, dignum esse fide certa, quia mentiri non potest, obiectum est naturaliter notum: solum ergo est supernaturalis, quod aliquid reuelat, & attestatur, præsertim de his, quæ per rationem naturalem cognosci non possunt. Hæc autem reuelatio, seu attestatio solum est veluti applicatio illius motui, ergo illud de se naturale est, solumque supponit applicationem, seu revelationem supernaturalem, ideoque tali facta propositione, posse hominem viribus suis propter illud motuum plene, & cum omni determinatione assentiri, licet perfectius id faciat, si à Deo moveatur ad altiori modo assentiendum.

Sed cauendum cenfeo responsionem hanc, nam multum accedit ad errorem Pelagij, quod facta reuelatione possit homo credere viribus suis, ut paulò antea dixi. Quia si motuum illud est naturale in ordine ad vires naturales nostri intellectus, fides naturalis est illi satis proportionata, & non est, cur non sit sufficiens in suo genere ad salutem, cum Deo soli tanquam attestanti nitatur. Nec poterit fides illa dici humana, sed divina, cum in Deo solo fundetur, & illi subijciat intellectum, nec erit ad illam necessaria gratia, nisi ex parte reuelationis, quam Pelagius non negabat. Diceret autem, maiorem gratiam, seu adiuvantem solum requiri, ut assensus in genere entis sit perfectior, licet ex vi obiecti non esset necessarius, multum accedit ad id, quod Pelagius dicebat, gratiam requiri tantum ad facilius. Item videtur fuga solum inuenta ad eludenda testimonia Conciliorum, & Patrum. Ac denique videtur illa perfectio entitativa valde materialis, & ad mores nihil referens, si actus viribus naturæ elicitus in Deo solo, ut in ratione assentiendi fundetur, nam inde habebit omnes proprietates fidei supra positas, quod ad mores sufficit.

Secundo possumus ab inconuenienti argumentari, quia si ex eodem motui, & ratione formali obiecti sequi potest actus naturalis, & supernaturalis, nunquam erit in potestate hominis elicere supernaturalem actum, neque ad illum conari, quantum in se est etiam conando operari ex perfectissimo motui sibi proposito: consequens est falsum; ergo. Sequelam declaro, quia supposito obiecto credibili sub tali ratione diuina tantum est in potestate hominis libere determinari ad credendum sub illa ratione, quod autem actus prodeat supernaturalis, vel naturalis, non est in potestate hominis, si ex vi illius obiecti formalis non determinatur; ergo quod actus sit naturalis, vel supernaturalis, prædebet ex sola Dei voluntate determinantis concursum, vel auxilium suum ad tale, vel talem entitatem actus. Exemplo res declarat, quia intel-

16. Alia eundem diu.

17. Hæc responsio multum accedit ad Pelagij errorem.

18. Impugnatio ab absurdo.

intellectus hic, & nunc circa idem obiectum potest actus fidei numero distinctos elicere, non est vero in potestate voluntatis libere se determinare ad hunc actum numero potius, quam ad illum, sed vel naturaliter determinanda est ab obiecto, & circumstantijs, vel id pendet ex libero decreto Dei determinantis suum concursum ad talem individuum actum intra illam speciem; ergo similiter si motiuum, & ratio volendi, vel credendi non determinat potentiam ad talem entitatem, vel speciem actus, non erit in potestate voluntatis illam determinare, sed solum pendebit ex voluntate Dei.

19. Quod autem hoc consequens admittendum non sit, probatur primo, quia nunquam esset in potestate hominis saluari etiam posita quacunque gratia præueniente, & cum illa faciendo, quod in se est, quod dici non potest, ut per se constat. Sequela probatur, quia necessarium est ad salutem, supernaturales actus elicere, ut supra ostensum est, sed non est in potestate hominis libere conari ad operandum ex tali motiuo, quod determinet ad actum supernaturalem, iuxta illam sententiam; ergo nec salus est in potestate hominis. Et declaratur practice, ponamus enim duos homines sufficienter excitatos ad credendum, quia Deus dicit: si ergo ex illo motiuo sequi potest actus naturalis, & supernaturalis; contingere etiam potest, quod uterque credat, vnus tantum per actum supernaturalem, & consequenter sufficienter ad salutem, alter vero per actum naturalem, & insufficienter. Ponamus ergo ita fieri, nam possibili posito in esse, non sequitur inconueniens; peto ergo rationem ex parte talium hominum, ob quam vnus elicit actum tantum naturalem, & alius supernaturalem. Certe nulla reddi potest, quia vterque voluit efficaciter credere, quia Deus dicit, & amplius non fuit in eius potestate: pendebit ergo totum ex eo, quod Deus voluit dare auxilium concomitans supernaturale huic, & non illi, atque ita vnus dominabitur, cum ex parte sua nihil minus fecerit, quod profecto absurdissimum est. Et confirmo, nam si hoc verum est, profecto non potuit homini præcipi, ut habeat actum supernaturalem, sicut non potest præcipi, ut habeat hunc actum numero, potius quam illum, quia hoc non pendet ex determinatione eius. Solum ergo præcipitur homini, ut credat Deo, vel quia Deus dicit: ergo si hoc facit, siue faciat actum naturalem, siue supernaturalem, implet præceptum: ergo iam non esset actus supernaturalis necessarius ad salutem, quia actus necessarius ad salutem sub præceptum cadit: ergo per solos actus naturales potest homo saluari.

20. Propter hæc dicere potest aliquis, quamuis uterque actus sit possibilis, tamen de facto Deum decreuisse non cooperari cum homine ad operandum ex tali motiuo, nisi supernaturali auxilio, & illud semper offerro, atque ita semper esse in hominis potestate supernaturalem actum elicere, & consequenter casum illum propositum de duobus hominibus æqualiter præuentis non esse admittendum de lege, quamuis absolute sit possibile. Sed hoc in primis alienum est à sensu, & doctrina Patrum, & Conciliorum, iuxta quam non est necessaria gratia, quia Deus ita decreuit, sed quia propter humanam impotentiam ad talia opera est intrinsece necessaria, nimirum, quia opera ipsa, & obiecta illorum excellentioris ordinis sunt, quam natura. Deinde illa lex non esset consentanea naturis rerum, quia si natura habeat sufficiens principium ad operandum, iuxta exigentiam obiecti: ergo illum operandi modum negare, & statuere non concurrere, nisi altiori modo, esset præter naturam debitorum, & quodammodo monstruosum. Præterea quia, ut supra arguebam, tale motiuum non esset supernaturale, sed naturale, quandoquidem natura de se apta est ad operandum ex illo: ergo eleuatio ad operandum supernaturaliter tantum ex illo motiuo, negando concursum ad actum naturalem, esset pro-

uidencia omnino voluntaria, & extra ordinem rerum. Sicut si Deus statueret non concurrere cum homine ad credendum ex motiuo humano, nisi per actum supernaturalem quoad substantiam, profecto esset prouidentia quasi violenta, & miraculosa, etiam si esset possibilis.

Denique si vera est lex hæc ordinaria, saltem de facto verum est, nunquam fieri actum fidei ex tali motiuo, nisi supernaturali, saltem quia Deus ad alium non concurrat, facta sufficienti obiecti propositione; at contraria opinio supponit oppositum, & ex actibus, quos experimur, conatur ostendere, talem actum naturalem ex illo motiuo esse possibilem: ergo non potest cum illa opinione constare responso, sed illam potius enervat, & evertit præcipuum fundamentum eius. Nam si de facto nunquam ex tali motiuo sit, nisi assensus supernaturalis, non est ex arbitria Dei prouidentia, sed quia tale obiectum, & motiuum talem actum requirit. Quod si quis forte dicat, potius semper fieri utrumque actum, hoc etiam facile impugnat, tum quia est superfluum, tum etiam quia est contra experientiam, quantum à nobis cognosci, vel coniectari potest. Tum denique quia tunc naturalis actus tanquam facilius, & nature magis consentaneus ordine naturæ præcederet, & pareret viam ad alium, procedendo ab imperfecto ad perfectum ordine generationis, & ita facile incidemus in Semipelagianum errorem, sequeretur enim Deum donare homini potentiam ad supernaturalem assensum, quia iam facit quod in se est, credendo vere, & proprie Deo, propter Deum totis viribus suis, quod in Concilio Araulicano damnatum est.

Vltimo argumentari possumus philosophice ex illo principio Aristotelis: habitus ex actibus, & actus ex obiectis species sumere. Ex quo sic argumentor, nam eadem potentia circa idem obiectum materiale ex eodem motiuo, seu obiecto formali non potest habere actus species distinctos, ostensum est autem, actus supernaturales specie, & substantia distinguab omnibus actibus naturalibus; ergo non possunt actus naturales versari circa easdem materias ex eisdem motiuis, quibus specificantur actus supernaturales. Maior probatur ex principio posito, quod actus sumunt speciem ex obiecto; ergo & distinctionem specificam, & non ex obiecto materiali, quia supponimus in illo conuenire; ergo ex formali. Confirmatur, quia non possunt habere aliquod aliud formale principium distinctionis substantialis, & essentialis. Dico autem principium formale, quia quod quidam asserunt, distinguui, quod vnus est ab auxilio supernaturali, & non alius, non declarat formale principium distinguendi, sed solum principium efficiens, quod supponit diuersitatem essentialem in ipsis actibus secundum se spectatis, ideo enim vnus illorum postulat principium effectuum distinctum, & altioris rationis; quia secundum naturam, & speciem suam est altioris ordinis; ergo oportet assignare formale principium, à quo talem speciem habeat, hoc autem nulum est, nisi formale obiectum.

Respondent aliqui, actus illos per suas entitates formaliter, & essentialiter distinguui, neque oportere aliud formale distinctiuum querere ex parte obiecti. Sed hoc nihil aliud est, quam evertere principium illud de distinctione actuum ex obiectis, & totam Philosophiam, quæ docet motus, & omnia, quæ habitudinem ad aliud essentialiter includunt, siue prædicamentalem, siue transcendentalem, habere speciem, & consequenter distinctionem à terminis, vel obiectis, quæ respiciunt, nam inde habent aliquo modo suum esse, & consequenter etiam distinctionem. Quamuis ergo verum sit, actus intrinsece distinguui formaliter se ipsis, seu suis differentiis constitutis, tamen quia hæc differentia includunt habitudinem ad obiecta, & illis accommodantur, ideo ex obiectis etiam recipiunt distinctionem. Et inductione ostenditur potest,

potest, nam etiam actus fidei supernaturalis distinguitur à fide humana in auctoritate, in qua nititur, quæ pertinet ad obiectum eius, & à scientia, quia est per medium extrinsecum, quod etiam pertinet ad rationem obiecti; ergo sine aliqua distinctione in obiecto formali non potest intelligi essentialis distinctio in actibus, præsertim eiusdem potentie, & eiusdem obiecti materialis.

24. *Responsio a*
la impu-
gatur.
Quo argumento aliqui conuicti fatentur, necessarium esse distinctionem in ratione formali obiecti, sub qua obiectum attingitur, dicunt tamen hanc desumi sæpe ex habitudine ad lumen vel principium agendi. Et ita in proposito dicunt, actus fidei naturalis, & supernaturalis esse posse de hac veritate, *Deus est unus*, vt dicta à Deo. Nihilominus tamen differre in rationibus, sub quibus, quia respectu supernaturalis actus, ratio sub qua est auctoritas Dei, vt est sub lumine infuso, eadem verò auctoritas, vt est sub lumine naturali, est ratio formalis sub qua naturalis fidei. Sed qui sic respondent, non aduertunt, se supponere distinctionem in actibus, vt illam declarent in obiectis, atque ita distinguere obiecta potius per actus, quam actus per obiecta. Probatur assumptum, quia auctoritas diuina, vt manifestata, vel coniuncta diuerso lumini, supponit distinctionem in luminibus, veligitur est sermo de lumine actuali, & illud non est nisi actus ipse credendi; ergo supponit distinctionem in actibus: vel est sermo de lumine habituali, & sic supponit distinctionem habituum; ergo & actuum, quia habitus per actus à priori distinguuntur; ergo non potest commodè saluari illa distinctio actuum, nisi supponendo in obiectis formalibus, secundum se aliquam distinctionem. Contra hunc verum discursum procedunt argumenta prioris sententiae, quæ purè philosophica sunt, & idē licet maiorem difficultatem haberent, in re Theologica, & quæ multum propendet ad dogmata fidei, minoris momenti censenda essent, quam vt possent prudentem Theologum à plana, & regia via deflectere. Respondendo ergo ad fundamenta contrariæ sententiae, & hic discursus declarabitur magis, & obiectiones, quæ contra illud fieri possunt, obiter soluentur.

25. *Ad primum*
ad primum
Ad primum ergo fundamentum, quod actus speciei distincti possunt versari circa eandem materiam, ex eodemque motiui, Respondetur in primis id admittere in potentijs specie diuersis. Rationem autem aliqui reddunt ex parte obiectorum, diuersas attingibilitates (vt vocant) in eis considerando, quas dicunt esse diuersas rationes formales, sub quibus tales potentie in sua obiecta tendunt. Sed reuera illæ attingibilitates tantum sunt extrinsecæ denominationes ab actibus, vel potentijs desumptæ, & ita (vt supra dicebam) earum distinctionem supponunt, idēq; non possunt esse primariæ rationes, à quibus actuum, vel potentiarum distinctio sumatur. Potentia igitur si à subiectis distinctis fluant, ab illis possunt habere distinctionem quasi genericam, quia habent modum diuersum tendendi in obiecta: si verò ab eadem forma dimanent, necesse est distinguere in obiectis adæquatis, vel quia omnino condistincta sunt, vel quia obiectum vni potentie adæquatum sub adæquato alterius continetur. Atq; ita semper potentia superior, vel immaterialior, videtur attingere obiectum sub ratione vniuersaliori, vt videre licet in sensibus internis, & externis, & in intellectu respectu illorum, & in appetitu superiori, & inferiori, & in intellectibus etiam Angelicis, quatenus diuersis speciebus intelligibilibus informantur.

26. *Quando pot*
est actus spe
cialis obiecti
magis disti
ngui à motu
motu.
Sic ergo non repugnat, actus speciei diuersos propter diuersitatem potentiarum, ferri in idē materiale obiectum propter idē motiui, quia habent maiorem distinctionem quasi genericam ex alijs principijs, & ita specifica differentia, quam vnusquisq; actus sumit ab illo obiecto (vt sic dicam) accommodata suo generi, & propriæ causæ distinctionem ab alijs a-

Pars I.

actibus eiusdem potentie, illæ verò duæ differentiæ constituentes actus diuersarum potentiarum in ordine ad idē obiectum, & motiui inter se distinguuntur, vel ex modo tendendi, in quo accommodantur generibus diuersis, quæ contrahunt, & determinant; vel quia illudmet motiui respiciunt ex vi rationis obiecti, seu potentie magis, vel minus vniuersalis. Et hoc probant exempla de cognitione sensus, & intellectus, vel de affectu voluntatis, & appetitus ad idē bonum delectabile, & de actibus Angelorum specie distinctorum.

At verò in actibus vnus, & eiusdem potentie, non facile inueniuntur actus specie distincti attingentes idē obiectum sub eodem omnino motiui. Et in primis id non probant exempla in fundamento adducta. Nam in exemplo physico de motu circulari, & recto non est propria distinctio specifica, & essentialis in ratione motus, sed solum distinguuntur in modo figuræ, sicut linea recta, & circularis, vel distinguuntur in ratione motus naturalis, sicut motus sursum, & deorsum. In exemplo autem magis theologico, vel potius morali de voluntate, simplici intentione, & delectatione, in ipso motiui aliqua diuersitas inuenitur. Nā bonitas finis per se, & absolute spectata mouet ad simplicem amorem, & vniōem. Ad intentionem autē mouet idē finis vt acquirendus, & idē licet in ipso semper sit eadem bonitas, tñ ad intentionem non mouet, nisi quatenus est ipsa consecutio talis obiecti simul apprehenditur, vt bona, & mouet ad sui dilectionem, seu intentionem. Et simili proportionem ad fruitionem mouet finis non vt cūctus, sed vt præsens, seu possessus, & sic non solum ipse, sed etiam possessio, vel præsentia eius apprehenditur vt bona, & ita delectat. Et ad hunc modum possunt etiam esse actus eiusdem potentie distincti specie, licet in idē obiectum tendere videantur, quia in eis etiam potest inueniri aliqua diuersitas in motiui. Vt amor Dei, & proximi propter Deum, etiam in eadem infinita, seu increata bonitate Dei fundetur, nihilominus quia illa bonitas aliter Deum afficit, aliter proximum, habet distinctam rationem motiui. Idē inuenitur in intentione, electione, & alijs similibus. Et in assensibus intellectus nostri, quoties inuenitur specifica diuersitas in actibus, inuenitur aliqua diuersitas in motiui assentiendi, quia vel est ipsa veritas in se per connexionem immediatam terminorum, vel est medium aliquod, per quod veritas mediata cognoscitur. Vnde licet contingat, eandem veritatem in se immediatam per medium etiam cognosci alio genere assensus, etiam in illis inuenitur diuersitas in motiui. Neq; tamen nego, etiam in actibus, vel habitibus eiusdem potentie posse esse aliquam distinctionem quasi genericam, vel vniuersaliorē ex modo tendendi, sed assero, cum peruenitur ad specificam diuersitatem, semper inueniri aliquam distinctionem in ratione formali, seu medio, aut motiui attingendi obiectum, vt etiam in Metaphysica dixi.

Ex his ergo responsum est ad primum fundamentum, quia assensus fidei infusæ, & acquisitæ eiusdem obiecti, & sunt actus eiusdem potentie, & eodem modo tendunt, quia etiam assensus fidei infusæ sit modo humano, & idē nisi distinguantur in motiui, & obiectis formalibus, non possunt essentialē distinctionem habere. Sed contra hoc obijci potest apparet, quia lumen fidei infusæ, & naturale lumen intellectus sunt quasi potentie intellectiue genere diuersæ, quia lumen fidei ita est habitus, vt det etiam nouam potestatem intelligendi specie diuersam, & ad altiore ordinem pertinentem; ergo ex hac parte possunt ab his duobus principijs, p dire assensus plus quam specie, & quasi genere diuersi, etiam si circa idē obiectum ex eadem ratione assentiendi versentur. Nam in illis inueniuntur distinctio, tum ex parte potentiarum, tum etiam ex parte modi. Quia licet vt ergo quoad aliquid fiat modo humano, sc. quoad compositionē, & apprehensionē.

L1

hensu

Motus circū-
laris, & rectus
non disti-
nguuntur spe-
cie.
Specifica dis-
tinctio quo
pactō in vo-
luntatis ac-
tibus relin-
quitur.

Specifica dis-
tinctio actuum
intellectuum
ex diuerso
motu obiecti

Disp. 48.
sect. 3.

Solutio t.
argumenti
num. 2. præ-
positi.
Obiectum.

hensionem per species acquisitas, &c. nihilominus ipse assensus fit modo longè diuerso quoad entitatē, & perfectionem actus: sicut in duobus Angelis assensus naturalis eiusdem veritatis per se ne notat, vel in eodem medio fundatur; licet cōueniant in modo generali intelligendi Angelico, & sine compositione, vel discursu; nihilominus differunt specie ex modo subtiliori, & spiritualiori intelligendi: sic ergo in presenti dici potest.

29.
Solutio.

Hæc autem replica haberet quidem locum, si motuum talium assensuum, seu actuum fidei esset ordinis naturalis, non verò procedit, quando motuum actus supernaturale est, vt in presenti esse ostēdimus. Quia licet multiplicatio principiorum cognoscendi, vel volendi eandem rem propter idem motuum in eadem potentia, quando vnum naturale est, & aliud supernaturale, non videatur repugnare, nihilominus si vnus talium actuum naturalis sit, & alius supernaturalis, necessariū est, vt motuum vtiusq; actus naturalis sit, quia actus naturalis, & factus per solas vires naturæ, non potest fieri, nisi ex motuo naturali eiusdē naturalibus viribus proportionato. Vnde licet possit Deus supernaturale lumen, vel scientiam infundere, per quam veritas aliqua naturalis ex motuo naturali altiori modo cognoscatur quoad entitatem actus, quàm per vires naturæ possit cognosci: nihilominus è contrario fieri non potest, vt intellectus humanus per vires solas naturales, assētiatur ex motuo supernaturali, quatenus tale est, eodem modo, quo id facit per vires gratiæ, quantum ad rationem assentiendi, interueniente tantum differentia in modo tendendi quoad entitates assensuum. Quia si motuum supernaturale est, implicat contradictionem, vt per vires naturales solas attingatur, quia si intellectus solis suis viribus operatur, nō interuenit ibi specialis Dei operatio; ergo non potest assensus fundari in solo motuo superante vires naturæ. Non potest enim Deus facere, vt sine suo adiutorio natura operetur ex motuo sibi non proportionato.

30.
Ex motuo supernaturali elici nequit actus naturalis.

Itaq; loquendo de absoluta Dei potentia non fundatur assertio in hoc, quod distinctio, & multiplicatio plurium actuum specie distinctorum sit omnino impossibilis in eadem potentia circa idem formale obiectum, seu ex eadem ratione assentiendi. Nam hoc modo distinguuntur fortassè in anima Christi, aut beati plures actus scientiæ naturalis, & supernaturalis, seu per se, & per accedens infusa, prout versantur circa naturalia obiecta, & motiua. Sed fundatur in hoc, quod motuum Christianæ fidei est supernaturale, & ideo circa illud met non possunt multiplicari actus naturales. Sicut etiam in scientia infusa per se, & per accedens fieri non potest, vt circa veritates supernaturales cognoscēdas per media supernaturalia distinguantur actus vtiusq; scientiæ, quia scientia naturalis, seu per accedens infusa non potest tale obiectum attingere. Sic ergo discursus factus non fundatur tantum in principio solo Philosophico de distinctione actuum per obiecta, sed adiuncto principio credito, quod ratio assentiendi, seu motuum credendi fide Christiana est supernaturale, vt à nobis probatū est. Nam professō, si dicamus, posse hominē sine gratia credere ex illo puro motuo, & cum omni perfectione, quā ex vi illius habet quilibet actus in illo tantum fundatus, nimium tribuitur viribus naturæ, & plus quàm locutiones Scripturæ, Conciliorum, & Patrum permittant.

31.
Solutio 2.
Argumentum 4. propositum.

Vnde ad secundum principium, seu fundamentū prioris sententiæ negamus, in obiectis formalibus talium actuum, etiam si circa eandē materiam versentur, non posse inueniri sufficientem distinctionem. Quæ fortassè in actu amoris obscurior est, sed illam in sequentibus capitulis inuestigabimus. Nunc verò in assensu fidei videtur nobis res perspicua, & ad excellentiam fidei Christianæ maximè spectans. Vt enim fateamur, tam dæmones, quā hæreticos proximè cre-

Dæmon & hæreticos

dere multa, quia à Deo dicta sunt, longè verò aliter in diuino testimonio, ac veritate nituntur, quàm is, qui fide Christiana credit. Nam dæmon, vel hæreticus ita credit Deo dicenti, vt tamen Deum dicere, nō credat eadem fide, aut ex eodem testimonio Dei, sed vel ex signis cogentibus, vel ex coniecturis humanis, proprio discursu, & iudicio regulatis: fidelis autē, & res dictas, & Deum dicere, & Deum non falli, nec fallere, & quicquid ad credendum ex parte formalis obiecti, & motui necessarium est, eadē fide, sola veritate, & auctoritate Dei nixus credit. Vnde hinc, vt ratio credendi res etiam diuinas in acquisita, seu naturali fide, nō sit purum verbum, seu testimonium Dei, sed mistum (vt sic dicam) cum humanis coniecturis, vel signis, vel cum aliquo testimonio humano, ideo licet tunc concurrat testimonium Dei, non tñ vt motuum supernaturale est, sed, vt esse potest aliquo naturali modo cognitum. Nam talis fides semper nititur medio syllogistico formali, vel virtuali, quod medium licet proximè videatur includere Dei auctoritatē, tandē resoluitur in naturale lumen, vel coniecturas per illud cognitatas, vel euidenter, vel per aliquam auctoritatē, & fidem humanam, tum de testificante, tum de eius auctoritate. Sicut in fide humana ex auctoritate Augustini assensus rei dictæ reuera non fundatur in puro testimonio Augustini, sed simul in alijs rationibus, & medijs, per quæ mihi sit credibile, vel notum, & August. hoc dixisse, & ipsum esse tali, vel tanta fide dignum.

Idem ergo est in fide merè naturali, qua creditur aliquid, quia dictum est à Deo, nam illa supponit talem æstimationem de Deo, qua creditur, iemper loquimur, quæ æstimatio à dæmone v.g. vel alio naturaliter tñ credente, non fundatur in veritate Dei hoc ipsum de se reuelantis, sed in lumine naturali, quo id cognoscitur. Deinde et supponit illa fides aliā, quod Deus dixerit, & hæc est merè acquisita per aliquam signorum euidentiam, vel probabilitatē vehementem simul cum aliqua traditione humana. Ac tandem ex his omnibus virtute cōponitur ratio, seu motui assentiendi naturaliter rebus à Deo dictis, & ideo in illa fide nulla est supernaturalitas, neq; in substantia actus, neq; in modo, quia intellectus mero discursu naturali ducitur, & solū iuxta mensuram suarū virium præbet assensum, vel liberum ex naturali et, seu humano affectu. At verò assensus fidei purè fundatur in Dei testimonio, suscipiendo verbū eius non vt verbū hominum, sed vt est verè verbū Dei, hoc ipsum, nimirum, esse verbum Dei, eadem fide suscipiendo, & discernendo, & veracitatem ipsius Dei eadem fide credendo, & ita est magna diuersitas in obiecto formali, quam alij authores non intellexerunt, quia putarunt, nostram fidem infusam per se pendere à fide acquisita tanquā à causa partiali, vt Gab. cum Ocham. clarius explicauit. Sed reuera decepti sunt, nam si id verum esset, nō esset certior fides infusa, quàm acquisita, à qua per se penderet. At iuxta nostram sententiam ex prædicta diuersitate in obiecto formali oritur distinctio in certitudine intrinseca, & essentiali, quæ in fide Christiana est longè alterius rationis, vt latè explicatum est.

Et hinc etiam facillè intelligitur, quomodo in voluntate credendi, quæ est in hæretico, vel in catholico inueniatur diuersa ratio obiectiua: nam respectu voluntatis fidelis motuum est honestas quædam supernaturalis, quæ in illo obiecto cerni potest, quatenus ad credendum proponitur ex sola Dei auctoritate, illi omnino intellectum subijciendo, & captiuādo. Voluntas autē, quæ est in hæretico potest sæpè nō esse honesta, nam eodē modo credit suos errores, & veritates, quæ ex fide sibi eligit, vnde potest in vtriusq; eadem voluntate, & motuo duci, quæ voluntas planè est remeraria, vel certè licet cōtingat, velle credere aliquod mysterium fidei, quia prudenter iudicat, esse credibilius, quàm contrarium, in hoc ipso non nisi humana ratione ducitur, ac subinde ex quadā naturali, & morali honestate, qualis in quacunq; fide humana, & prudenti inueniri potest, mouetur.

Ter-

34. Tertium argumentum procedit ex hypothesi, si facta propositione obiecti dei cum tota preguia gratia, Deus negaret auxilium adiuuans physicè, seu concursum supernaturalem ad actum fidei, non verò generalem, quia tunc intellectus posset assentiri cum solo concursu generali, & ex eodem motiuo, quia non habet aliud. Respondetur, tunc quidem intellectum, vel potentiam illam, cui negatur concursus supernaturalis, & non negatur generalis concursus ordinis nature, posse quidem elicere actum aliquem, illum tamen futurum esse naturalem, ex motiuo naturali diuerso à motiuo Christianæ fidei. Quia licet obiectum sit propositum sub ratione supernaturali, semper etiā ad iugitur ratio naturalis sufficiens ad assentiendum, vel volendum naturaliter, & tunc potentia secundum naturalem vim operatur, quia per actualem motionem superiorem non amplius eleuatur. Solet similis casus proponi de vidente Deum, si Deus negaret illi supernaturalem habitum charitatis, & auxilium ad proprium actum charitatis, & queritur, quomodo amaret illa voluntas, diciturque, amaturam, quantum potest per vires nature, tendendo in Deum sub aliqua ratione naturali, quæ in illo obiecto etiam per vicium relucet. Sic ergo in casu nostro de actu credendi dicimus, quia fidei obiectum dum proponitur ut credendum ex autoritate Dei, semper fit etiā credibile per rationes humanas manucentes hominem, ut eleuari possit ad credendum altiori modo. Quod adeo necessarium est, ut propterea dixerint aliqui Theologi necessariū esse, ut fides acquisita infusam antecedit, quod licet non sit verum de fide eiusdem veritatis creditæ, est nihilominus probabile de aliquo iudicio credibilitatis eius. Hinc ergo facile fieri posset in eo casu, ut intellectus deficiat superiorem auxilio, fidei assensum præberet veritati propositæ, non tamen ex motiuo fidei supernaturalis, quia non ex pura Dei autoritate, sed ex motiuis, & rationibus humanis, sub quibus illa proponitur, & cum quibus illa coniungitur, quando assensus est merè humanus, & acquisitus, ut in præcedenti remissione explicatum est, & idem cum proportionem de voluntate credendi dicendum est.

35. Quartum argumentum sumebatur ab incommodo, quod aliquis esset certus de sua fide, quod sit infusa, & sicut oportet. Quod aliqui non reputant inconueniens, & ideo facile sequela admittunt, constituuntque discrimen inter actus intellectus, & voluntatis, nam intellectus, inquit, clare intuetur rationem, ob quam mouetur ad assentiendum, non tamen ita clare cognoscit rationem, & motiuum, ex quo voluntas operatur, & ideo potest homo certò cognoscere, se credere, sicut oportet, & fide supernaturali, licet non possit ita certò cognoscere se amare, sicut oportet, & consequenter nec certo cognoscit, se esse iustum. Sed hi authores non aduertunt, fidem pendere à voluntate, & ideo non posse nobis esse magis notam qualitatem (ut sic dicam) seu supernaturalem motiuum assensus intellectus, quam sit nota supernaturalis species illius pietatis affectionis, seu voluntatis, qua determinamur ad credendum; illa autem volitio non est nobis notior, quam alij actus voluntatis; ergo neque ipsa fides. Et ideo simpliciter respondeo, negando sequelam, quia cum in his actibus semper concurrant aliquo modo, & naturalia, & supernaturalia motiua, ut dixi, nunquam homo satis euidenter discernit, an ex pura supernaturali ratione moueatur, & opereatur, & hoc est satis, ut nunquam possit omnino esse certus de fide, vel operatione sua, quamuis de illa magnas possit habere coniecturas. De qua re ex professo versus finem huius materie dicendum est.

CAPVT XII.

Virum ad sperandum, sicut oportet, diuinas promissiones, gratiæ auxilium requiratur, & quale, qua re ratione necessarium sit?

1. Diximus de necessitate gratiæ ad actum supernaturalem.

Pars 1.

talis actus alij Theologici, alij morales. turalem intellectus, dicendum superest de eiusdem gratiæ necessitate ad actus voluntatis, qui possunt in duos ordines distingui, scilicet, in Theologicos, & morales; Theologici dicuntur illi, quibus voluntas immediatè vnitur Deo, attingendo illum, ut aiunt, tanquam obiectum, quod. In alio vero ordine constituimus actus virtutum moralium, qui proxime versantur circa materias creatas, & vel non comprehendunt Deum in obiecto suo, vel si aliquo modo attingunt, solum est tanquam obiectum, cui, ut dici solet. De prioribus actibus est certior doctrina, & ideo de illis prius dicemus, dicturi postea de cæteris in capitibus sequentibus. Præterea supponendum est, duos esse præcipuos actus theologicos ad voluntatem pertinentes: nam virtutes Theologicæ sunt tres, & una earum ad intellectum pertinet, nempe fides, de cuius actu iam dictum est: quæ vero ad voluntatem spectant, nimirum spes, & charitas, de quarum actibus suo ordine dicemus.

2. Supponimus itaque spem esse actum voluntatis, ut est communior sententia Theologorum, licet aliqui dubitauerint, quia spes nihil aliud est, quàm fiducia; fiducia autem actus intellectus esse videtur, quia nihil aliud est, quam firma credulitas in verbo, seu promissione alterius. Sed non potest de veritate communis sententiæ dubitari, nisi quis velit duas tantum Theologicas virtutes admittere, quod Paulo. 1. Cor. 13. & communi sensui Ecclesiæ repugnat. Sequela vero patet, quia fiducia, prout intellectui tribuitur, non potest à fide distingui; ergo si illam est spes, fides & spes non distinguuntur, & ita tria illa, quæ Paulus dixit, nunc manere, non erunt nisi duo. Necessè est ergo, ut spes formaliter ad voluntatem pertineat, ut sic à fide distinguatur: à charitate autem nunc supponimus distinguui, quia spes ad amorem concupiscentiæ, charitas ad amorem amicitie eiusdem Dei pertinet, ut videbimus, & latius in disputationibus de his virtutibus, differitur, & videri potest D. Thomas. 1. 2. q. 62. art. 3. & 2. 2. q. 17. & 23. Neque est verum fiduciam esse firmum assensum; sed est motus efficax appetitus in tali assensu fundatus.

3. Circa spem igitur non inuenio ab Augustino, vel alijs Patribus relatum aliquem Pelagij errorem specialem, cum autem circa fidem, & dilectionem errauerit, eas viribus nature, & liberi arbitrij ascribendo, non est dubium, quin de spe idem senserit. Nam spes proxime generatur ex fide, & in illa maximè fundatur, & minus perfecta est, quam charitas, teste Paulo. 1. Cor. 13. qui ergo fidem, & charitatem naturales esse credit, non potuit aliquid altius de spe cogitare. Eò vel maxime, quod Pelagius necessitatem auxilij diuini specialis negabat, & ita totam fiduciam in se, & in suo libero arbitrio collocabat, de quo sæpe ab Augustino reprehenditur; ergo non solum supernaturalem spem, sed etiam omne fundamentum eius penitus abstulit. Quocirca sicut ad fidem solum præquirebat Pelagius diuinam reuelationem, & doctrinam, qua proposita dicebat posse hominem suo arbitrio velle credere, & non credere, & ita ad spem postulare ad summum potuit diuinas promissiones homini reuelatas, & ab illo naturaliter creditas, ut posset etiam suo arbitrio de fidelitate promittentis fidere, & promissa sperare.

4. In hoc verò errore dubitari potest, an error in fide sit, quia non videtur tam clarus in spe, sicut in fide, neque militare eadem ratio. Nam fides ut includit voluntatem credendi, non supponit aliam priorem fidem, vel supernaturalem operationem propriam, per quam possit ad credendum confortari; spes autem supponit fidem, per quam videtur voluntas sufficiens vires accipere ad appetendum, & sperandum suis viribus sine nouo auxilio gratiæ. Quia homo naturaliter sibi amat omne bonum, quod iudicat sibi esse conueniens, & consequenter illud etiam naturaliter sibi desiderat; ergo postquam sibi persuasit, & firmi-

L1 2

ter